

1572

salutem ac decus intenti, minime cunctandum, matureque decreta perficienda censerent. Nonnulli ab his diversi, de reverfione tantum cogitabant; ac, ne vergente in hyemem autumno, aliquid moliretur, Austriaco denuntiabant. Ex ea animalium fluctuatione neque decem peditum millia, uti statutum fuerat, emittebantur, neque Navarinum tentabatur.

*Joseph Bon  
sus milita-  
rem machi-  
nam in-  
fruit.*

Interea Joseph Bonus, molitionum extruendarum peritus, novam machinam commentus est, in qua, triremibus quatuor connexis, decem majora tormenta imponerentur, quibus dum Divi Nicolai arx quateretur, foederati tuto in freto hostilem classem invaderent. Ob id Venetæ triremes tres, ac pontificia, Pacis nomine nuncupata, armamentis nudantur; licet postea, ne immanni magnitudine motui minus apta fatisceret, duæ tantummodo triremes adhiberentur. Has, hinc dextero, inde lævo latere complanatis, arce connectunt, malis, antennis, trabibus dispositis, crassissimisque funibus, qui subter aquam delati carinas complectebantur, constringunt. Ac ne sinistra triremis, in qua e terra propugnacula confienda erant, suo pondere lævam deprimaret, occlusis dolis, sabuloque intra contabulata immisso, æqua lance libratis, propugnaculum in læva secundum longitudinem altitudine novem, crassitudine decem & octo pedum excitant; atque ex arte sex locis in quibus tormenta cum vehiculis statuerentur, distingunt. Ea ut ejaculationum impetu retrorsum acta sisterentur, præter firmissima retinacula, in exteriori dexteri navigii latere scalis ventis, repagula ad excipiendum impetum conficiunt, & ad machinam sustinendam circumquaque bene compacta, atque clausa dolia triremibus confixa adhibent. Valde machinæ ratione Austriacus oblectabatur; Columna, ut illi gratificaretur, humo propugnacula infarcienda curavit. Verum cito Fuscarenus, quam parum in ea præsidii foret, cognovit. Perraro enim accidit, ut solertis ingenii nova excogitata, quamvis statim ad capiendos animos inusitata rei specie magnam vim habeant, pares exitus sortiantur.

Dum e Zaczyntho triremes ac naves expectantur, machinæque perficiendæ incumbitur, quotidie aquandi causa ad propinquum amnem, non absque hostium detimento ac cæde decertabatur; qui cum nostros arcere non possent, de fluminis

cur-